PLANTARUM ROMULEÆ, ET SATURNIÆ IN AGRO ROMANO EXISTENTIUM...

Giovanni Francesco Maratti,
Pietro Ghigi, Veremondo Rossi

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA
AD
AMICUM.

MInimè mirum videri tibi debet, me per diuturnum ſpatium litteras non dediſſe. De ſtudio enim meo erga amicitiam tuam credo te cognoſſe ex prioribus litteris, cum per tempus datum erat crebras ad te mittere de rebus Botanicis notitias. Delectationem hanc adeo frequenter exercere non valui, partim propter intempeſtiva negocia, quæ me diſtraxerunt, partim propter adverſam valetudinem, qua uſus ſum. Nunc autem ope D. O. M. perfectè convalui. Redeam igitur ad priſtinum morem, & de duabus te certiorem reddam plantis, quas tribus circiter ab hinc annis veluti novas, & num-

Digitized by Google

quam a Botanices Auctoribus deſcriptas offendi. Id verò clariori, qua fieri poterit, methodo præſtabo, Diſſertatiunculam ſubnectens, quam hac occaſione rudiori ſtylo concinnavi, ut facilius ipſarum indolem quiſque internoſceret, atque ab aliis eas probè diſtingueret, vel congeneribus, vel viſu penè ſimilibus. Ex hac veritatem facilè inquires, & in meam certè ſententiam deſcendes: ratus eaſdem plantas tales re vera eſſe, quales inibi deſcribuntur. Quid præcisè ſentias de hoc, ſcire cupio: maximi enim, ut noſti, judicium tuum hujuſmodi in materiis ſemper feci. Hæc modò notiora tibi eſſe volui. Plura ſcribam, ſi plus otii habuero. Vale.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE BINIS PLANTIS
NUPER INVENTIS
IN AGRO ROMANO.

NON aliunde profectò tam copioſa notionum multitudo noſtris hiſce temporibus congeſta, tantaque Scientiarum varietas apprehenſa repeti debet, quàm a præclara illa, & numquam ſatis laudata perdiſcendi, quæ nos latent, cupiditate. Siquidem homines principio rudes, ac ignari non alia extare putabant Naturæ portenta, quàm quæ ſub oculos poſita in propria regione intuebantur; non aliud eſſe ſcibile, quàm quod ſciebant. Verum cum illi ſagaciores, ſtudiique magis amantes evaſerunt, nimis arctis circumſcribi finibus eorum cognitionem deprehenderunt, ideoque expedire ſibi duxerunt, Alienigenarum cognoſcere mores, ritus, jura, conſuetudines, magiſtratus: idque ut ab extraneorum ſtylo ipſorum animi probè informati, bene mora-

Digitized by Google

ta Regna, Provinciaſque ſtabilirent. Hoc peractum a politicæ cultoribus. Alii verò ad comparandas liberales facultates, ſcientiaſque dumtaxat incumbentes, rectam ſtudiorum traditionem, cum eorum ſyſtematibus percipere ſategerunt. Quid plura, quum de hujuſmodi tàm politices quàm cæterarum ſcientiarum, bonarumque artium progreſsu pleni ſint omnes hiſtoriarum libri, plenæ Sapientum voces, plena exemplorum Vetuſtas? Nec ſolùm de politica acquirenda, ſcientiiſque perdiſcendis ſoliciti erant Veteres: bene verò illas merces, illoſque terræ fructus adipiſci, ac transvehere cæperunt ope commercii, qui in nonnullis abundant Mundi plagis, in aliis deſunt. *Non omnis enim fert omnia tellus*. Jam verò quot, quantaque Botanicæ ipſi commoda ſupervenerunt ob enunciatam communicationis rationem! Multas enim herbas, quæ a remotis terræ plagis accepimus, & in noſtris modò vireſcunt, in nativo adhuc ſolo deliteſcentes ignoraremus. Et reapſe nimis diſſitæ, diverſæque variarum terrarum proprietates aſſiduam, ſeriamque inveſtigationem requirunt, ad hoc ut ex earum cognitione utilitas tandem communitati pro-

Digitized by Google

promanet, ceu egregiè de more ſuo admonet Mantuanus Vates *Georg. lib.*1. *verſ.*50.

Ventos, & varium Cœli perdiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque, habituſque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius Uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittat ebur, molles ſua thura Sabæi?
At Chalibes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros Equarum?
Continuò has leges æternaque fœdera certis
Impoſuit Natura locis, quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides jactavit in Orbem.

Enim verò vidimus cum ipſo Virgilio peculiaribus quaſcumque Nationes eſſe refertas ornamentis. *Tmolus* Phrigiæ mons in Indiæ finibus, Crocum, Vinumque album fecundiſſimè miniſtrat. In India prope Gangem majores naſcuntur Elephanti, quàm in Africa, ideòque magna Eboris copia illìc abundat. *Sabæi* Arabiæ felicis habitatores tellurem poſſident arboribus ditiſſimam, quæ

Digitized by Google

Thure undequaque redundant: nec Thura ſolùm tellus illa producit, ſed innumeras odoriferas Plantas, atque hinc *mollium* nomen a Veteribus *Sabæi* ſunt ſortiti. *Chalibes* ſunt flumini Chalibi adjacentes propè Hiſpaniam, ubi ferri ſunt fodinæ. In *Ponto*, qui ad Paludem Meotidem extenditur, vivit animal Caſtoreum nuncupatum, à quo trahitur Moſchus odore acutiſſimus atque medicinalis. *Epìros* inferioris Albaniæ pars maximè celebris propter equas curſu victrices in Ludis Olympiacis Elidi Jovique dicatis, ac a Veteribus celebrari ſolitis.

Commendet quiſque Populus patrii Soli proprias prærogativas: Italia verò noſtra, miſſis cæteris laudibus, quæ ipſi convenirent, tantum habet unde glorietur, quantum ſufficit ad conſtituendam abſolutam herbarum phalangem, quæ Botanicorum ſtudio ſemper attulit incrementum. De peculiaribus Italiæ, Eccleſiaſticæque Ditionis productis circa Vegetabile Regnum, teſtimonium reddunt Strabo, atque Procopius, ubi *de bello Gotorum* verba faciunt: necnon Galenus de *Antidotis*, *ſimplicibuſque Theriacalibus* Romæ naſcentibus loquens, de ipſorum viribus longa

texit

Digitized by Google

texit encomia. Et verò quis non fatebitur prata hæcce noſtra, montes, colleſque fertiliſſimos eſſe, variiſque conſitos vegetabilibus, ſi mentis aciem tantùm convertat ad climatis, tellurifque qualitates? Siquidem nulla eſt tàm peregrina, tàm ſpecioſa inter Plantas, quam apud nos pullulare mirabiliter non conſpiciamus. Ad particulare tamen deveniendo; nonne circa ſpecioſas arvorum noſtrorum filiationes, ocularis ego ipſe ſum teſtis? Etenim præter Plantas ab aliis laudatas, duas ego inſuper forte fortuna adinveni, quæ quantum mea fert cognitio, novæ, aut non rectè ab aliis examinatæ apparent, vel deſcriptæ.

Evenit igitur per plures vices, quòd ipſe partim ſolatii captandi cauſa, partim Plantas aliquas reperiendi ſtudio, per Agrum Romanum ſpatiarer, cùm in binas haſce oculos conieci herbas, adſpectu mihi omnino incognitas. Primo obtutu dubitavi, me deceptum eſſe: quippè qui novas judicarem Plantas, quarum memoriam, fortaſſe, amiſeram; ſed ut tutius de iis judicium proferre valerem, ipſas e Terra avulſi, domumque tranſtuli, ad hoc ut ſeriam ſuper eiſdem inſtituerem obſervationem, conſiderationemque. Non

Digitized by Google

ſemel, bis, ac tertiò id perfeci: at poſt debitas ipſarum cum aliis notis Plantis congeneribus collationes Botanicorum omnium dignas cognitione eas decrevi, meumque præterea duxi onus de ipſarum notione literariam Rempublicam certiorem reddere, anatomizans earum ultimas differentias. Idcircò æneæ tabulæ noſtrarum herbarum repreſentantes figuram, ut inciderentur curavi, propterea quod neceſſe planè videbam, quod demonſtrare ipſe volens, memoratas herbas inter illas verſari, quæ cognitioni noſtræ adhuc non ſubjecerant, probationes inſuper adducerem: probationes autem nullas concludentiores cogitare poteram, quam Icones inſerere. Quapropter cum quis naturales effigies intuebitur, ipſarum accuratæ fidelique deſcriptioni, quam infra ſubnectam, conjunctas, meæ (non diffiteor) adhærebit opinioni, tamquam novas, vel non rectè deſcriptas priſcis temporibus ipſas declarando. Nec meo tantùm innixam volui judicio opinionem hanc novitatis; verùm antea ipſarum ſcheletra pluribus dedi Botanices Profeſſoribus, etiam ultra montes degentibus, & iſti unanimi conſenſione inter novæ Scientiæ no-

ſtræ

ſtræ inventa, Plantas dictas connumerant.

Præterea data occaſione, quòd Clariſſimi Botanici Romam perrexerunt, nonnullos inſpectionis participes feci, idemque ab omnibus conſtanter reſponſum audivi, ſcilicet a nemine umquam deſcriptas herbas hujuſmodi inveniri. Inter doctos Botanicæ, qui meas Plantas viridantes conſpexerunt, primas certè tenent D. Aſtroemer auditor, & diſcipulus emeritiſſimi Caroli Linnæi, D. Dickeſon Anglus, nec-non Claris. Delatourette a ſecretis celeberrimæ Academiæ Lugdunenſis, qui omnes quantam ſibi promeruerint laudem in ſcientia noſtra nemo neſcit, qui vix a limine Botanicam ſalutaverit. Cum ipſis itaque ad trutinam revocavi non ſolum Plantas noſtras virides cum ſuis fructificationibus, bene verò earum bulbos, & ſemina. Inſuper iſtarum Icones, ac ſcheletra unà cum bulbis, ſeminibuſque adſportata fuerunt mea cura ad Doctiſſimum Antonium Govan Profeſſorem Monſpellienſem, Literatis Viris ſatis notum, benemeritumque ob ſua commendabilia Opera ad naturalem Hiſtoriam pertinentia.

Quemadmodum verò cæteris omnibus Botanicæ ſubjectis propria convenire nomina

Digitized by Google

intuemur, nec ſine maximo ſcientiæ hujuſce Cultorum commodo, ſecus enim innumeræ ſuborirentur amphibologiæ; ità & noſtras peculiari decorandas nomine exiſtimavi. Primæ Plantæ ex inventis ROMULEÆ cognomentum impoſui: quippequia non aliundè nominis ducere expedit etymologiam, cum agitur de herbis, quàm a patrio ſolo; At Patrium ſolum iſtius eſt Romanus Ager; conveniens igitur erat, quod Romulea a Romæ ædificatore Romulo nuncuparetur.

Alteram diſtinguere placuit SATURNIÆ titulo: quoniam illo in tellure primùm eam vegetantem vidi, ſcilicet in Monte Aureo, ubi ſuas fundare cæpit Colonias Saturnus, prout cuique, qui in Hiſtoriarum lectura peregrinus planè non ſit, & hoſpes, compertum erit. Gaudeant igitur binæ Plantæ, & maximè gaudeant tàm nobilibus, præclariſque nominibus, & ſibi ulteriùs gratulentur, quod licet ſerò inventæ ac cognitæ, non tamen deerunt ſolertes, cupidique veritatis indagatores inter modernos Botanicos, qui in ipſarum virtutem, proficuoſque effectus attentè inquirant, eaſque tandem humanæ valetudini conſervandæ tamquàm recèns a D.O.M. miniſtratum

tum

Digitized by Google

tum ſubſidium illuſtrent, atque deprædicent.

Modò ipſarum diligentiſſimæ deſcriptioni manus admoveam ope Tabularum Ænearum, ut ſi in aliis fortaſſe tales Plantæ vireſcant Regionibus, aliorum obſervationes promereant &c., ac perconſequens opportunis experimentis aſſiduè ſubjiciantur. Ordiar a Romulea.

ROMULEA.

E' Bulbillo unico, ſolido, & tunicato, perbrevis Scapus teres è terra exit, quem a baſi uſque ad medietatem Spatha amplexatur (1) in ſummitate dicti Scapi, qui uniflorus eſt, elongatur calyx monophyllus, cucullatus, integerrimus, perſiſtens, apice acuminatus (2) embrionem, & florem amplectens ſimul cum *Spatula* membranacea (3) ovata oblongiuſcula oppoſita, intra eumdem calycem plantata.

Florem Liliaceum habet (A) cujus tubus ſimplex, & perbrevis eſt, (*) in Limbo ſex partibus, erectus, laciniis ovato = oblongis, concavis æqualibus.

Filamenta tria tantùm habet, & ſubulata ſunt, Corolla dimidio breviora, petalorum baſi inſerta.

An-

Antheræ oblongæ, ſagittatæ, erectæ, didymæ (B) in baſi diviſæ.

Germen ovatum eſt, (4) & in meditullio illud cum flore, & ſpatula (3) Calyx amplexatur.

Stylus filiformis, erectus, petala floris ſuperans, & in ſummitate trifidus, & in quavis diviſione ſubdiviſus (C) unde meritò dicere poſſumus, quod ſexfidus ſit; Stygmata ſimplicia, ſubrotunda, parva, punctum non excedentia.

Embrio abit in fructum oblongiuſculum, & quaſi cylindraceum, trivalvem, & *ſexlocularem* (D) (E). Semina plurima orbiculata (F).

Folia Plantam ornantia, oblonga, & anguſta ſunt, quæ Crocifoliis quamdam affinitatem, primo intuitu, præbent.

Quòd noſtra Romulea differat a ſequentibus, & ab aliis omnibus ſuis congeneribus, luce meridiana clarius eſt; nempè:

A Croco, quia Crocus duos bulbos habet, quorum minor alteri majori inſidet = Stylum habet longitudine ſtaminum = Stygmata tria convoluta, capitata, ſerrata. = Tubum longiſſimum filiformem = Capſulam, ſivè fru-

ctum

Digitized by Google

ctum ſubrotundum, trilocularem, trilobum, trivalem &c.

A Colchico diverſa, quia Colchici tubus eſt angulatus = Filamenta ſex = Antheras longas habet, & quadrivalves = Radicem geminam, tuberoſam unam, fibratam alteram, eodem involucro membranaceo obductas.

A Sinſyrinchio, quia Sinſyrinchii Spatha anceps eſt diphylla = Stylus brevis = Stamina ſex minima ad baſin ſtyli inſidentia = Stygma trifidum.

A Bulbocodio, nam Corolla Bulbocodii eſt infera = Stamina ſex = Stygmata tria canaliculata.

Ab Ixia, quia Ixia ſpatham compoſitam habet, ſquammas flores diſtinguentes = Petala patula = Stylum brevem = Stygmata tria craſſiuſcula.

Sed diligentiùs examinare neceſſe erit partes differentiales Ixiam diſtinguentes a Romulea noſtra, ut clariùs earum diverſitas innoteſcat. Igitur Romulea, & Ixia Clariſſimi Caroli Linnæi *gen*.46. *p*.18. differunt notabiliter inter ſe: primò quia Ixia Spatham habet compoſitam multifloram, ſquammis exterioribus majoribus, craſſioribus, ovato-lanceo-

ceolatis, margine laceris, interioribus tenuioribus, laceris, perſiſtentibus, germina diſtinguentibus, quæ partes in noſtra Romulea nullo modo obſervantur. Romulea enim ſpatham radicalem habet, & aliam *ſpatulam* inſertam in calice (notatu dignam). Quæ ſpatula perſiſtit cum germine = Antheræ in Ixia ſunt ſimplices, & in Romulea oblongæ Lanceolatæ = Germen in Ixia triquetrum ſub receptaculo floris = Stylus ſimplex, longitudine ſtaminum = Stygma trifidum, craſſiuſculum. = In Romulea verò Germen eſt ovatum, & nullo modò triquetrum = Stylus longior ſtaminibus, apicibuſque, & petala floris etiam multùm ſuperat, in ſummitate trifidus, & quælibet pars dividitur in partes duas, & ideò meritò dicimus, quod in Romulea ſit ſexfidus, & non eſt craſſiuſculus, ſed filiformis, & ſtygmata ſimplicia ſunt, parva, & ſubrotunda =. Capſula in Ixia ſubovata eſt, & triquetra, trilocularis, loculis compreſſis, trivalvis. At in Romulea oblongiuſcula, & quaſi figuram cylindraceam mentitur, & nullo modò triquetra eſt, ſed potiùs dicendum erit, quod aliquo modò Heptangula ſit angulis obtuſis, ob ſemina, quæ ali-

aliquantulum prominent ſub cuticula capſulæ, ſeu fructus. Capſula itaque Romuleæ eſt *ſexlocularis*, (D) trivalvis, & non trilocularis, ut in Ixia Lin. = Semina ſemper plurima producit noſtra Romulea, incumbentia perpendiculariter in loculis, & ſubrotunda ſunt. Ergo patentiſſimè conſtat, quod Romulea differat ab Ixia, & ab omnibus Plantis ſuis congeneribus, & examinatis &c.

ROMULEA SPATULA INTRA CALICEM INSERTA

An Siſyrinchium aſprenſium anguſto folio, alterum Col. Ecphr. 2. p. 5. T. 1. f. 1.

An Bulbocodium Crocifolium, flore magno albo, fundo luteo Tour. Corol. 50.

SPECIES, SIVE VARIETATES ROMULEÆ ADHUC MIHI COGNITÆ.

1 Romulea flore albo.

2 Flore ex albo, & violaceo mixſto.

3 Flore ex violaceo, & luteo variegato.

4 Flore intensè violaceo.

5 Flore parvo variegato.

Romulea vegetat Februarii, & Martii Menſibus in Antonini Caracallæ Circo extra Ja-

Digitized by Google

Januam D. Sebaſtiani, & etiam ad Teſtaceum Montem, & extra mænia Januarum D. Pancratii, & Portuenſis Urbis Romæ &c. ad Prata, & Herboſa.

Venio jam ad examen alterius Plantæ, cui a me nomen datum SATURNIÆ.

SATURNIA.

A' Bulbillo unico, parvo, ſolido, tunicato perbrevis ſcapus exit, vix a Terra egrediens, foliis gramineis, in margine ciliatis (4) circumdatus. Dictum ſcapum, ut plurimùm ſpatha radicali amplexatur. Scapus divaricatur in duas, tres, vel plures partes, in ſummitate quarum plures, vel pauciores vegetant flores liliacei (A) petalis ſex ovatis conſtantes, in quorum centro conſiſtit embrio ſubrotundo-ovatus, breviſſimo cum piſtillo (B) a ſtaminibus ſex cum apicibus didymis reniformibus (C) circumdatus. = Stygma ſubrotundum eſt, & in ſummitate planiuſculum,& in medio umbilicatum (1). Embrio abit in fructum perfectè rotundum (D) trivalvem, *ſexlocularem*, (2) ſeminibus fætum triangularibus (3).

A ſtru-

Digitized by Google

A ſtructura igitur partium, quæ in Planta Saturnia reperiuntur, inquirendum eſt, an differat ab aliis Plantis ſuis congeneribus, & ſignanter utrum attinere poſſit ad genus Alliorum. Profectò nemo judicare poterit, quod ea ſit de *Alliorum* familia, qui duci velit, ut æquum eſt, a fundamentis, doctriniſque clariorum Botanicorum. Nonnulli putant, quod eſſe poſſit noſtra Planta = *Allium* ſcapo nudo ſubnullo, capſulis cernuis, foliis planis ciliatis. *Cl. Lin. Spec. Plant. Tom.* 1. *pag. mihi* 433. *num.* 37. Moly humile folio gramineo. *C. B. Pin.* 75. *Rudb. Elyſ.* 2. *p.* 166. *f.* 15. Chamæmoly, an Moly Dioſcoridis. *Col. Ecphr.* 225. *t.* 326. Sed eorum aſſertio faciliter corruit; quandoquidem ſi rectè procedere velimus; genus cum genere alio confundere non debemus, & ultimæ Plantarum differentiæ, priùs ſunt examinandæ diligenter juxta doctrinas DD. Facultatis Botanicæ, quorum inter alios Clariſſimus Carolus Linnæus, & Hallerus diverſitates indigitant. Primus Capſulam aſſignat in *Allio* breviſſimam, latam, trilobem, trilocularem. = Semina ſubrotunda. = Antheras oblongas erectas. = Piſtillum

tri-

Digitized by Google

trigonum; Stygma acutum. Alter, nempe Hallerus doctiſſimus affirmat = Capſulas in *Allio* trigonas, triloculares, trivalves = Semina ſubrotunda &c.

Quamobrem liquidò fluit, quod noſtra SATURNIA diverſificatur ab *Allio* ob ſuperiùs notata de uno, ac de alio genere.

Putabunt fortaſſe nonnulli, quod SATURNIA reponenda ſit inter varietates Antherici Clariſ. Carol. Lin. *Gen. Plant. Gen.* 356.

Alii cogitabunt, quod locum habere poſſit in familia Ornithogalorum, Lin. Gen. *Pl. Gen.* 388.

Sed iſtorum ſuppoſitio levi flante vento evaneſcet. Cum ea, qua par eſt conſideratione, harum partes ad trutinam fideliter revocentur, tunc profecto in meam ſententiam & ipſi deſcendent, & clarè cognoſcent SATURNIAM minimè convenire cum Plantis ſupra dictis, & differre ab omnibus aliis ſuis congeneribus.

SPE-

Digitized by Google

SPECIES SATURNIÆ.

UNicam novi foliis gramineis ciliatis (4), & hæc in Janiculo Monte vitam vivit extra Januam Divi Pancratii &c. Menſibus Januarii, & Februarii &c.

Ad herboſa, & Pratula, etiam ſecus vias.

Flores ſunt albi, & petala linea vireſcente notata ſunt a baſi uſque ad ſummitatem.

Supervacaneum eſſet plura addere. Satis enim, ut arbitror, demonſtravi, Plantas ROMULEAM, SATURNIAMQUE inter nova Botanices inventa eſſe cooptandas. Utinam alias vel mihi, vel cæteris ſorte datum eſſet adinvenire, quæ lumen ſuperadderent rei Botanicæ, & ornamentum. Quis umquam ſibi animo finxiſſet, præter innumeras propemodum Herbas a tot, tantiſque Viris huc uſque indicatas, adeſſe modò, quæ diligentiſſimas, accuratiſſimaſque ipſorum obſervationes effugerint? Sed quum rerum humanarum ordo poſtulet, quod naturæ portenta

Digitized by Google

tenta non omnia ſimul innotuerint, verùm ſenſim prodierint, & prodeant, materiamque nobis præbeant Summi Numinis providentiam in dies magis, magiſque contemplandi. Hinc eſt, quod mirum videri haud debet etiam in Botanica noſtra ulteriores modò notitias acquiri, quæ in anteceſſum ignorabantur. Rectè igitur, & ſapienter ſcripſit Seneca *epiſt.64. de diffic. Nat. rer. contemp.* = *Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec ullo nato poſt mille Secula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi.*

FINIS.

99 943334

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dominicus Jordani Patr. Antioch. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum S. P. A. Magiſter.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google